

quæstum majorem efficit. Itane vero obærandis hominibus moram non ægre ferimus, sed et modis omnibus major illa ut fiat excogitamus; obærando autem Deo sic nos pusillanimes gerimus, ut hoc nomine eunctemur ac tergiversemur?»

Alii prædunt nutriendos et dotandos esse liberos. His respondet D. Chrysostomus, hom. IX. de pœnit. «Deus filias tibi dedit, fructum ventris accepisti, non quo sæva, sed quo pia misericorsque fias. Ne igitur causam clementiæ pietatisque sævitæ causam feceris. Cupis hæreditatem bonam filiis tuis relinquere? Eleemosynam relinque, quo te omnes laudibus efferant, vulgatam artem memoriæ tuæ relinqueas.» Simili fere respondet S. Basilius, orat. XIV. de divit. et paupert. ad eandem excusationem: «Quando petebas, inquit, a Deo, ut te liberis frugi ornaret; num etiam illud addidisti: Da mihi filios, ut mandata tua negligam ac nihil pendam? Da liberos, ne in regnum cœlorum intrem? Quis vero sponsionem faciet, filium tuum rebus datis ac relictis recte usurum? Multis enim divitiæ ministras se præbuerunt ad intemperantiam. Vide igitur ne eas divitias, quas magno cum labore congesisti, aliis, velut materiem quamdam peccandi, des, et ut deinde binas pœnas pendas, cum ob ea quæ ipse perperam fecisti, tum ad quæ perpetranda campum alteri suppeditasti. Multi quidem quamvis a parentibus nihil accepissent, sibi ipsis domos pararunt; verum animæ tuæ, quam tu deseris, quis misericordiam tribuet?»

Alii prætextum quærunt e vitiositate mendicantium, quorum plerique mali adeoque indigni videantur eleemosynis. Sed vanus est hic prætextus; quia in primis Christus dixit: *Omni petenti et tribue*, Luc. VI. Rursum (uti ad hanc excusationem respondet S. Chrysost. hom. II. de Lazaro, merito hic audiendus) præcepit: «Estote similes Patris vestri, qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes qui in naufragium inciderint excipit liberatque, sive mali fuerint sive boni, denique, quicumque fuerint qui periclitantur, in sinus ille suos excipit. Tu proinde, si videris hominem, qui in egestatis naufragium inciderit, ne judica, ne vitæ gesta examina, sed medere miseræ. Quid ipse tibi negotium accersis? Liberavit te Deus omni tali sollicitudine et curiositate. Quam multa plerique fuerant dicturi, quamque difficiles erant futuri, si Deus præcepisset ut prius accurate vitam factaque singulorum disquireremus, ac tum

demum conferremus eleemosynam? Nunc hac omni curiositate nos liberavit. Cur ergo curas supervacaneas accersimus nobis? Aliud est iudex, aliud eleemosynæ largitor. Ideo vocatur eleemosyna, quia eam et indignis damus. Unde et Paulus dixit: Quod bonum est facite erga omnes, sed maxime erga domesticos fidei. Quod si indignos curiose discutiamus disquiramusque, ne digni quidem facile in nos incident. Quod si indignis quoque præstiterimus beneficium, nimirum et digni quoque omnium illorum malitiam virtute pensent, venient in manus nostras; sicut evenit beato Abrahæ, cui minime curioso quales essent qui præteribant, contigit tandem ut et angelos exciperet hospitio. Hunc igitur et nos imitemur, simulque cum hoc nepotem illius Job; quandoquidem et hic primogenitoris sui magnanimitatem summa cum diligentia est imitatus. Eoque dicebat: Ostium meum jugiter patebat cuivis advenienti. Non sic huic patebat, ut alteri esset oclusum; sed indifferenter apertum erat omnibus. Hoc exemplum et nos imitemur: nihil exquirentes ultra quam oportet. Nam ad hoc ut pauper dignus habeatur eleemosyna, satis est egestas. Quod si quis cum hac commendatione nos adierit, ne quid amplius curiose scrutemur; necnon moribus demus, sed homini; nec illius ob virtutem nos ejus misereamur, sed ob calamitatem; quo nimirum et ipsi copiosam a Domino misericordiam nobis conciliamus, ipsique dignissimi, in quos ille suam conferat benignitatem.» Sed quid opus ss. pat. ad hoc in testes vocare? Ipsi gentiles hoc intellexerunt. In iis Aristot. cuidam increpanti quod homini malo eleemosynam dedisset: *Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Improbis etiam in necessitate constitutis vir bonus succurrit. Debetur enim hoc officium, si non meritis illius qui juvatur, certe naturæ. Et bonus fieri potest qui malus est.* Ita refert Laertius, lib. V. cap. I.

«Sed dices: (inquit D. Basil. or. XIV. de divit. et paup.) Quem obsecro, injuria afficio, si mea retineo et conservo quænam ista tua sint, cedo? Unde ea accipiens in hanc vitam intulisti? Perinde ac si quis in theatro spectandi locum occupet, deinde ingredi volentes arceat, suum esse judicans id, quod omnium ad usum constitutum est. Ejusmodi equidem sunt constituta, præoccupantes sibi vindicant propter temporis quamdam anticipationem: cum si unusquisque tantum ex iis caperet, quantum satis esse ad vitam tolerandam, et id, quod redundaret, ei, qui opus habet, largiretur, nemo esset dives, nemo inops. Nonne nudus ex utero matris excidisti? Nonne rursum nudus in terram reverteris? Ea vero,

quæ tenes unde habes? Si casu dicis te ea consecutum esse, impius es, qui neque conditorem agnoscis, neque gratiam ei, qui hæc in te contulit, refers; sin vero fateris a Deo profecta esse quæ habes, cedo rationem, ob quam ea in te collata sunt. Num injustus est Deus, qui inæqualiter nobis ea, quæ ad vitam sunt necessaria, distribuit? Cur tu divitiis circumfluis? Cur illi egestas imperat? Profecto nulla alia de causa, nisi ut et tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem acciperes, et ille ob magna patientiæ certamina præmiis afficeretur.» Sic Basilius.

## CONCIO V.

DIVITIE CUR MAMMONA INIQUITATIS APPELLATE.

I. Quia plerumque per iniquitatem comparantur. — II. Quia fere iniquos faciunt. — III. Quia fere alios lædunt. — IV. Quia a progressu virtutum impediunt. — V. Quia fallaces et infidæ.

## THEMA.

*Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

Luc. XVI.

In vita S. Hilar. abb. scribit S. Hieron. allatum aliquando coram eo fuisse virentis fascem ciceris a fratre quodam, qui ex proprio, contra monachorum regulam, excoluerat suum hortulum. Hilar. mox olfecit mammonam iniquitatis in prædicto fascie; itaque putorem ejus teterrimum se sentire exclamat; atque, ut res cæteris constaret, dare eum bobus jubet et brutis animalibus, simulque adverti an comestura sint. Quod ubi factum est: *Boves exterriti et plus solito mugientes, ruptis vinculis in diversa fugerunt.* Deprehendit etiam Christus in divitiis et opibus mammonam iniquitatis, siquidem hoc nomine eas compellavit: adeoque insinuavit magnas præsertim divitias fetore injustitiæ minime carere, quem alii, sæculo huic addicti, nequaquam olfaciunt. Quid igitur faciendum? Mittam ante vos, auditores, fascem divitiarum, et dabo examinandum, an revera puteant ex mammona iniquitatis. Quod ubi olfeceritis, spero etiam horrorem concepturos, et ab amore illarum non minus refugituros, quam ab iniquitatis pabulo fugerunt illi boves. Igitur ostendamus vere et sapienter immodicas divitias fuisse a Domino appellatas *mammonam iniquitatis.*

I. Quia plerumque immodicæ præsertim divitiæ per iniquitatem colliguntur. Hanc causam reddit Divus Hier. ep. CL. ad Hedib. *Omnes, in-*

quit, *divitiæ de iniquitate descendunt, et nisi alter perdidit, alter non potest invenire. Unde et illa vulgata sententia videtur esse verissima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæredes: et in c. XXXIII. Isa. Avaritia mater calumniæ: nisi enim cum alterius damno et malo pecuniæ alteri non coaccervantur.* Cui accedit S. Chrys. hom. XII. in I. ep. ad Tim. «Forte, inquit, absque cupiditate opes congeri possunt atque innoxie possideri; sed id profecto fieri nulla ratione potest, ut perniciosissima hæc perturbatio innoxia sit, atque id Christus dicens, definit sua sententia: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Quid igitur, inquires, si patri hæres quisque successerit, injuste profecto coactus accepit opes: neque enim ex Adam majores sui exerunt divitias, fierique potest ut et alii plures ætate præcesserint, atque inter plurimos inventum esse quempiam, qui injuste aliena susceperit:» et infra: «Dic mihi, quæso, unde tu dives es? Ex avita, inquires, hæreditate: alius itidem ex hæreditate paterna. Potesne, longam seriem repetens, opes istas probare carere injustitia? Nunquam profecto id poteris; verum necesse est horum initium ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Unde id constat? Ex eo scilicet quod Deus ab initio non fecit alium quidem divitem, alium pauperem, neque huic thesauros effodiendos ostendit, illum hac investigatione privavit, sed eandem omnibus aperuit humum. Quo igitur pacto, cum illa communis sit, tu illius permulta jugera possides, proximus vero nec unius glebæ possessione lætatur? Pater, inquires, mihi ista reliquit: ille autem a quo ea susceperit? A majoribus, scilicet. Sed necesse profecto est, per successionis lineam ascendendo, invenire principium: id autem injustitia carere non potest.» Sic ille. Quidquid tandem sit, semper immodicæ opes de injustitia aliqua suspectæ, adeoque infames sunt; cum nonnisi per magnam parcitatem et industriam, quæ raro ab omni injuria aliena est, conquiri debeant.

II. Quia fere iniquos faciunt, et instrumentum iniquitatis sunt. Quod in primis ostendi ex S. Jac. II. potest, ubi ait: *Nonne divites blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super nos?* At, qua ratione, dices, Christi nomen blasphemant? Non verbo, sed facto; dum vel opprimunt pauperes, illorumque possessiunculas ad se trahunt, ut ibid. addit Jac. vel, ut Cajet. ait, dum divitiis intumescunt. Quæ quidem nomini christiano maxime contrariæ sunt. Certe S. Aug. I. L. hom. superbiam *divitiarum vermen* appellat: et sicut rara poma sunt quæ ab omni verme intacta sunt; ita rari divites superbia non admorsit. Quare S. Salv. ad ea Jac. verba, I. III.

de prov. scr. « Quis est omnino dives, aut innocentiam servans, aut a cunctis sceleribus manus abstinens? Utinam vel a maximis, quia volunt sibi id forte quasi majores privilegium dicare, ut jure suo crimina vel minora committant! Quis est autem humano sanguine non eruentus, aut cœnosa impuritate non sordidus? Unum quidem ex his ad pœnam æternam sufficit; sed prope nullus divitum non utrumque commisit. » Certe viri boni et sancti erant Abraham et Loth; nihilominus tamen, ob eorum magnas opes, discordia gliscebat: ac nisi ab invicem discessissent, in graves inimicitias utique devenissent, Gen. XIII. Unde in eum locum Chrys. hom. XXXIII. in Gen. *Vide, inquit, quod facultatum multitudo statim causa sit discessus, divisiones operatur, concordiam impedit et cognationis vinculum dirimit.* Neque minus proclivis est ad alia vitia prolapsus, ubi suppetant divitiæ quæ, ad omnem libidinem suppetant instrumenta et facile aperiant viam. Unde Philo, l. de Abraham, divites comparat equo aut asino bene pasto et lascivienti, qui sessorem vel non admittit, vel excutit, aut in præcipitia ducit, cum per abundantiam pabuli vires acquisierit, et petulantiam carnis accenderit: *Est ingens malorum initium, inquit, ut quidam non male conjectans dixit, nimia bonarum rerum copia, quarum satietatem quidam non ferentes, tamquam jumenta lascivunt; a cervicibus excussis naturæ legibus.* Et unde prodiit vitulus ille, quem adorarunt Hebræi? Nonne ex auro? *Projecit illud in ignem, ait Aaron, egressusque est hic vitulus, Exodi XXXII.* Quis autem nescit vitulum lasciviæ typum esse? Hæc vero unde prodit nisi ex rerum copia, quasi genuina matre?

III. Quia inique alios lædunt plerumque, si non semper. Sunt enim velut arbores prægrandes et spatiosæ, quæ omnem circum positum succum ad se trahunt, unde non patiuntur juxta se adolescere virgulta et arbores minores. Queritur Socrates apud Aristophanem de cardamo seu nasturtio; ea enim herba humorem omnium circumjacentium herbarum ad se atrahit. Huic divites simillimi sunt, qui pauperum bona ad se trahunt; qua de re queritur etiam Jeremias, cap. XII. *Quare via impiorum prosperatur? etc., Proficiunt et faciunt fructum, nec sine aliorum injuria, nam sequitur: Usquequo lugebit terra; et herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? Luxit ita bonus Naboth, quando per immanem injuriam spoliatus est sua vinea ab iniquissimo Achab, quia ipsius domui vicina erat, neque solum vinea, sed et propter vineam vita sua, III. Reg. XXI.* Sic lugent pauperes, cum, urgente necessitate, coguntur emen-

dicare a divitibus mutuum sub usura, præstitit etiam pignore, et quandoque adjecto munere certo tempore restituendum, quo quidem ad breve tempus non nihil reficiuntur, sed postremum devorantur; quod, similitudine febricitantium, pulchre declarat Gregorius Nyssenus, in oratione contra usur. « Qui pecuniam, inquit, ita cum fœnore reddendam accipit, pignus et arrham paupertatis accepit, specie beneficii exitium domum reportans. Quemadmodum enim is, qui precibus victus febricitanti et quem vehementissime calor sitisque nimie torquent meri poculum porrigit, exhilarat quidem ægrum brevi tempore, dum poculum exhaurit; sed non longe post acerbissimam, et decuplo graviolem febrim misero parit; sic et qui egeno pecuniam sub fœnore commodat, necessitate illius non sublevat, sed calamitatem potius auget. » Quid autem communius divitibus, quam hoc pacto pauperes devorare? Prætextitur usuræ titulus quidem licitus, v. g. census; cum tamen quas requirit census conditiones, minime præstentur: prætextitur lucrum cessans vel damnum emergens, sed fiete plerumque et mendaciter. Neque vero alienos solum sic deglutunt divitiæ dum eorum substantias exhauriunt, sed et longe iniquius proprios hæredes, filios ac filias, dum inique partis bonis eos ditare satagunt, interim salute et beatitudine spoliant. Funestam piscatori suo prædam, congrum, describit Petrus Damiani card. l. II. epist. ep. XVIII. ad Desider. card. « Nostris quippe temporibus, inquit, audivi contigisse quod narro. Piscator quidam parvulum in lembi sui prora filium suum posuit; at in fluenta progrediens, congrum prolixæ magnitudinis cepit. Lætus itaque prædam projecit in navim, ita ut caput ejus contra puerum verteret, puer autem e regione sederet. Sed cum piscator intentus remigio redire contenderet, et alacris de prosperæ fortunæ successu sollicitudinem non haberet; pavefactus puer in piscis aspectu lugubris exclamavit: Ita me respicit, jam me bestia devorabit. Cui pater illudens: Tu, inquit, eum devorabis, non ipse te. Cumque puer idipsum secundo repeteret, sed ejus verba pater ineptias deputaret; tandem piscis sublatus in aerem puerum violenter impetiit, eumque repente corripens, aquis se cum rapina sua raptor immersit, ac neutrum ultra comparuit. » Lætabat hic miser parens se spe bonæ prædæ et filium suum; et interim vidit filium suum prædam prædæ suæ factum. Sic omnino divites sibi persuadent, tum demum bene et laudabiliter labores atque industrias se suas impendisse, si relinquunt liberis suis opimam hæreditatem, quasi piscationis suæ

prædam; sed fere decipiuntur, cum sæpissime videant adhuc oculis suis eam ab hæredibus vel dilapidari vel ad ipsorum perniciem et interitum desinere: nec aliud fuisse, quam fomentum ignaviæ, superbiæ, insolentiæ, luxus, omniumque vitiorum. Sed audiamus de hoc Divum Chrysostomum, homilia L. in Genes. « Quare, die mihi, inquit, et tibi ipsi hæc onera spinarum congregas, et filiis tuis materiam, et occasionem malitiæ te relinquere non sentis? Nescis quod Dominus majorem curam pueri tui gerit, tu autem tamquam illius majorem curam gerens, occasiones illi relinquere studes, quæ submergi ejus animam faciant? An nescis quod juvenus per seipsam ad ruinam proclivis est, et ad malitiam levi momento inclinatur: quando autem et opum affluentiam acceperit, multo magis ad malum proruit? Sicut ignis cum fomitem invenit, validioribus flammis exurgit; ita et quando in juvenem materia pecuniarum inciderit, tantam accendit fornacem, ut animam juvenis totam flagrare faciat. »

IV. Quia e progressu virtutum, adeoque ab ingressu cœli, vehementer retinent. Cum possessoribus namque suis, velut cum infantibus, ludunt. His enim nutrices ut aureum nummum auferant, pomum unum offerunt: divitiæ aurum offerunt, ut virtutem et cœlum abstrahant. Scimus ex libro Numerorum, capite XXII. Rubenitas et Gadditas, quia pro suis, quibus abundabant, pecoribus, repetierunt extra Jordanem pascua sibi commoda, resignasse partem hæreditatis suæ; quam accepturi erant in terra promissionis, longe nobiliorem. Pascua igitur campestris inescarunt illos, ut meliora perderent: ut pecorum pabula eligerent, et hominum deliciis, ficibus, malgranatis et prægrandibus botris, terra lacte et melle mananti renuntiarent. Hoc modo et divitiæ imponunt possessoribus, carnis pabulum porrigunt, et animæ pascua in cœlo ubera atque æterna surripiunt. Unde D. Gregorius, l. XXVII. mor. c. X. ait: *Qui jumenta plurima possident, Jordanem transire refugiunt; quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem ecclesiæ patriæ non requirunt, etc.* Pari opum impostura retenti in Babylonica captivitate et a regressu in terram sanctam ac patriam, detenti sunt multi Hebræorum milleni, suorum amore prædiolorum ac domuncularum, quas in eo sibi compararant exilio, præferentes passerem manutentum aquilæ in tecto sedenti. Eam enim ob causam remansisse in Babylone multitudinem Judæorum inæstimabilem, scribit Josephus, lib. XI. antiq. c. I. et V. Eadem receptione retinent divitiæ suos plerumque possessores

huic mundi exilio affixos, ut modicum hoc quod habent, regno cœlorum præferant. Qui fascis aut vinculis involuti et ligati sunt, a progressu impediuntur. Tales sunt prædivites, de quibus dicitur Soph. I. *Disperierunt omnes involuti argento.* Involuti nimirum sicut musca tela araneæ, quæ proinde ad libertatem suam avolare nequit, sed præda fit araneæ, quomodo etiam avari involuti suis opibus in prædam dæmoni cedunt. Paulo aliter explicat, sed eodem tendit Rupertus, cum ait: *Eadem involutione ita grosse facti, ut nimis difficile sit introire eos in regnum cœlorum Dei.*

V. Quia fallaces et infidæ, cruciant et gravant, ac postremo mergunt suum possessorem. Quod crucient, habemus ex Domini testimonio, qui spinis eas comparat, Matth. XIII. cujus rationem reddit D. Chrysostomus, homil. XXIII. in Joan. *Quemadmodum enim spinæ, inquit, eos qui tangunt, lacerant, ita horum cupiditas. Sicut facile igni comprehenduntur, et odio habentur agricolis, ita hujus sæculi negotia.* Ecclesiasticus, c. XIV. *Dolores et labores appellat, cum ait: Nonne aliis reliques dolores et labores tuos in divisione sortis? Nam, ut recte doctor Prosper. lib. II. de vita contemplation. cap. XIII. ait: Divitias qui habent, sine labore non quærun, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Intellexit hoc et Diogenes Laertius, qui cuidam de nocte sibi sacculum nummis repletum e lectuli capite subtrahere conanti dixisse fertur: *Tolle infelix, ut facies utrosque dormire significans pecuniam: tam possessoris quam raptoris quietem non parum interrompere; dum illi, ut eam custodiat, isti, ut eam suffuretur, non semel evigilandum, in. prov. Phil. Quare, si divitiæ tam iniquæ sunt in dominum suum, ut dolores ipsi afferant et quietem adimant, a quo tam impense tamque tenere adamantur, nonne merito appellantur mammona iniquitatis?*

Sed non omnes sentiunt dolores et puncturas, quas afferunt hæc spinæ, quia induratum est cor eorum, qui divitiis immersi sunt. Non audiunt hos sermones, quia, ut ait S. Ambrosius, serm. IV. in Psal. CXVIII. *Clausas habent aures, et sono æris obtusas: nummus magis illis resonat, quam verba divina.* Nares foetori huic assuetas habent, unde jam ex illo nihil patiuntur. Quamobrem vel hoc ipso mammona iniquitatis recte appellantur opes, quia ab iniquis solum æstimantur. Justi enim et cultores Dei spernunt eas et pro nihilo habent. Certe S. Paulus appellat eas *stercora*, S. Bernardus *glebus terræ*, S. Franciscus *muscas, etc.* Unde qui divitias quales

## CONCIO V. AUCTARII.

revera sint et quid mali progignant sapienter considerat, non modo non ambit, sed exosas etiam habebit. Vidit Anna Tobiae conjux se, amore recuperandae pecuniae, cujus gratia filium Tobiam amandarant in Mediam, in tristitiam incidisse, in curam et sollicitudinem, ne forte illius causa perderent filium unicum et dilectissimum; ideoque pecuniam execrata, ad virum dixit: *Nunquam fuisset pecunia ipsa, pro qua misisti eum*, Tob. V. Eadem aversatus S. Gregorius Nazianzenus, orat. XVI. appellat *perditionis instrumentum*; et: *Utinam, inquit, pereant divitiae, nisi pauperibus subveniant. Quid enim opus est multa reponere latronibus et furibus, et mutationibus temporum, quae ea in alios transferunt?* Nec defuere ex gentilibus qui, hoc intelligentes, aurum abo-

minati sunt; inter quos notissimus ille, Crates philosophus aurum suum in undas projiciens: *Abite, inquit, pessimae divitiae: ego vos mergam, ne a vobis mergar*. Albani una cum defunctis, eorum divitias sepeliebant, ideoque fere cuncti in paupertate vixerunt, Strabo, l. XI. « Babytae oppidum Persidis est, inquit Salinus, cap. LVI. in eo mortales universi, odio auri, coemunt genus hoc metalli, et in terrarum profunda abjiciunt, ne polluti usu ejus, avaritia corrumpant aequitatem. » Idem testatur Plinius, lib. VI. cap. XXVII. Nos vero Christiani ita aversamur opes, ut, non quidem in maria aut terrarum profunda, sed in sinus pauperum eas abjiciamus. Ita ex mammona iniquitatis fient instrumentum pietatis et pretium salutis.

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUC. XIX.

In illo tempore, cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Et ingressus in templum, coepit ejicere vendentes in illo et ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

## CONCIONES.

- I. De morte hominis in peccato existentis.
- II. Quae potissimum deploranda videantur in aliqua communitate.
- III. Quid doceant nos Christi lacrymae.
- IV. Deplendam fuisse Jerosolimam, et esse peccatorem: causae plures.
- V. Divina vindicta in excidio Jerosolymitano ostenditur.
- VI. Quamobrem crepta nobis sit terra sancta.
- VII. Variarum injuriarum ecclesiis illatarum, ut puniunt sint.
- VIII. Documenta.
- IX. Mystera.

## CONCIONES AUCTARII.

- I. Mira mercatorum ejectio ex templo.
- II. Sua quisque vitia ut ejiciat e templo animae suae incitamenta.
- III. Cur Dominus sua manu castigavit mundinatores templi.
- IV. Varii effectus, quos in peccatore producit mala conscientia.
- V. Deploranda Judaeorum caecitas, necnon multorum Christianorum.

## CONCIO I.

## DE MORTE HOMINIS IN PECCATO EXISTENTIS.

- I. Circumdabunt enim inimici: 1. Terrendo spectris. 2. Oppugnando tentationibus. 3. Objiciendo peccata commissa. — II. Coangustabunt undique. — III. Ad terram prosternent: 1. Quia cum violentia tolletur. 2. Quia spiritualium oblitus. 3. Quia in desperationem impellitur. — IV. Nec relinquent lapidem super lapidem: 1. Quia spoliabitur bonis. 2. Privabitur fructu operum extra gratiam factorum. 3. In nihilum concident ejus vota.

## THEMA.

Venient dies in te. Luc. XIX.

Multis, auditores, hodiernum evangelium non magis pertimescendum videtur, quam tormentum jam explosum, vel hostis qui scopuletum

quidem gerit, verum pulvere et globo caret. Putant enim Christi praedictionem et comminationem jam in Judaeis completam, ad alios non pertinere. Unde dicere videntur: Non venient hi dies in nos. Sed me, ut verum fatear, si quod terret evangelium, terret hodiernum. Video enim manifeste, quae in hoc evangelio praedicuntur Judaeis impenitentibus, praedici etiam peccatoribus in peccato morientibus, adeoque hoc evangelium esse duplicem prophetiam, unam quae Judaeos, alteram quae peccatores omnes tangat. Ut enim destructio Jerosolymae typus est perditionis peccatorum: ita existimandum est, ea quae ad litteram evenerunt Jerosolymae, spiritualiter eventura homini in peccato morienti. Quod ut clarius videamus, perstringemus singula.

- I. Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumda-